

CAP. IV. *Matrimonium sine causa dissolvendum non esse.*

Quia vero interdiximus dudum per nostram legem et viris et mulieribus repudia mittere, et transigere matrimonia, (nisi tamen quædam sit causa nostræ legi cognita) et pœnas hoc facientibus et viris et mulieribus imposuimus: mutationem quandam circa pœnas viri ac mulieris facientes, et ad melius hoc transformantes, sancimus nullam esse differentiam quantum ad pœnam inter virum et mulierem hoc præsumentes: sed iisdem pœnis<sup>11</sup> quæ contra mulieres a nobis definitæ sunt, si sine causa nostræ legi cognita matrimonia distrahant, etiam viros subdi hoc præsumentes, et similes pœnas esse in viro, et in muliere, in delicto enim æquali similes eis imminere pœnas justum esse putamus.

## EPILOGUS.

Præsentem igitur generalem legem nostram manifestam tua gloria faciat per edicta solennia et iis qui hanc maximam civitatem, et qui provincias habitant: ut nullus hominum quæ ad salutem communem sancta sunt a nobis, ignoret. — Dat. 5 kal. septemb. *Constantinop.*, DN. JUSTIN. P. P. Aug. anno 22. post consulat. BASILII V. C. anno 7.

## TIT. XI.

## DE COLLATORIBUS, ET ALIIS CAPITULIS.

## NOVELLA CONSTIT. CXXVIII.

Imp. JUST. AUG. Petro gloriosiss. sacrorum prætoriorum præfecto.

## PRÆFATIO.

## CAP. I.

Quæcumque ad utilitatem nostrorum collatorum respiciunt, studentes adimplere, et hanc præsentem ponimus legem: per quam sancimus per Julium vel Augustum mensem uniuscujusque indictionis, particulares dispositiones collationum futuræ indictionis in foro uniuscujusque diocesis gloriosissimorum nostrorum præfectorum sub confectione monumentorum manifestari: declarantes quantum unicuique provincia sive civitati pro unoquoque jugo<sup>12</sup>, aut villis, aut centuriis, aut alio quolibet, tam in specie quam in auro, fiscalium causa imminet: indicant s quoque specierum estimationem secundum mensuram in unoquoque loco tenentem, et quicquid ex his in arcam inferri, aut in unaquoque dari aut expendi oportet. Sic igitur compositas tales dispositiones provincialium judicibus mox destinari in proœniis uniuscujusque indictionis, et per eos proponi in civitatibus sub eis constitutis intra septembrem aut octobrem menses. Sed et volumus exemplaria eorum ex foro gloriosissimorum præfectorum sine dilatione dari: ut collatores cognoscant quemadmodum debent collationes inferre. Si vero ante insinuationem in alios titulos, præter eos, qui continentur particulari dispositione anni, collatores fiscalia exsolvant, aut in provincia expendant: jubemus eis in ejusdem indictionis collationes hoc reputari: ut nullam ipsi patiantur dampnam. Si vero secundum a nobis definitum tempus non dirigantur hujusmodi particulares dispositiones: qui quidem per tempus gubernant nostrum prætorium, triginta librarum auri pœnam persolvant: uniuscujusque vero provinciæ contractæ quinque et viginti librarum auri pœnam exigantur. Si autem judex missus easdem particulares dispositiones, in provinciis non proposuerit, decem librarum auri pœna damnabitur, et spoliationem cinguli sustinebit: ejus quoque officium quinque libras auri exigetur.

## CAP. II.

Jubemus vero specierum quidem illationem mox ex principiis uniuscujusque indictionis incipere: argenti vero illationis titulum secundum definita tempora.

## CAP. III.

Pro fiscalibus autem collationibus de suscepta sive securitates particulares aut plenarias, omnibus ab iis qui fiscalia suscipiunt, fieri definitivimus, manifestantes et solidorum qualitatem, et specierum, necnon et jugorum, sive villarum, sive centuriarum et nomina possessionum, pro quibus functiones suscipiunt. Si vero secundum prædictum modum desuscepta sive securitates non fecerint: jubemus eos et pœnam 10 librarum auri exigi, et tormentis subdi: similiter judicem provinciæ decem librarum auri exigi pœnam, si de hoc interpellatus non judicaverit, et compulserit desuscepta sive securitates secundum quem definitivimus ordinem scribi.

11. N. 134. c. 21.  
Tit. XI. — 1. N. 17, c. 8. — 2. N. 38, in pr. N. 154, c. 1. — 3. c. 6, infr. hic. — 4. *4890.*

## CAP. IV.

Hoc autem jubemus observari, si quis forsitan collatorum dubitat de possessione pro qua fiscalia exiguntur, aut pro qua fiscalium quantitate: omnibus modis fiscalium descriptionum custodes cogi a provinciæ judice, aut illo negligente a locorum sanctiss. episcopo eas proferre et fiscalium ostendere quantitatem, et servitutem publicæ descriptionis exigi possorem.

## CAP. V.

Et in hoc quoque adjuvare nostros collatores perspeximus, ut non necessitas inferatur possessoribus sub hypothecis decimationes nominare in auro collationis, ut non aliquam ex hoc ipsi patiantur lesionem, sed eos quibus in unaquoque provincia aut civitate periculum fiscalium exactioem imminet, sive vindicet<sup>13</sup> sint, sive curiales, sive exactores, aut canonicarii<sup>14</sup>; aut alii quidam: proprio periculo et suscipere pecunias et transmittere, et expendere in quibus deputatæ sunt utilitatibus.

## CAP. VI.

Et hoc custodiri jubemus, canonicarium talem in provinciam destinari, qui possit periculo ordinantium eum exigere fiscalia tributa, et per nullam<sup>15</sup> occasionem impulsorem post eum mitteri, et dampnum subjectis inferri impulsioem: et ipsum vocabulum de cætero perimus. Si vero non opportunus inveniat canonicarius: non impulsor mittatur, sed illo remoto alter dirigatur canonicarius. Ipsum quoque canonicarium contentum esse jubemus deputatis consuetudinibus, et nullam subjectis inferre lesionem.

## CAP. VII.

Sin autem aliquando contigerit superindictionem cujuslibet possessionis conservæ aut contributariæ fieri: ex illo tempore jubemus superindictionem suscipientem, exigi pro eo fiscali ex quo tradita est ei superindicta possessio. Non aliter autem superindictionem fieri: nisi ex rescripto de hoc examinatio fiat apud provinciæ judicem, et sententia eius procedat, definiens eum qui debet superindictionem suscipere. Si quis autem putaverit se lœdi, liceat ei provocare: ut in foro gloriosiss. præfectorum appellatio examinetur, et secundum leges terminum suscipiat.

## CAP. VIII.

Si vero aliquando contigerit dominum cujuscunque possessionis aut non apparere, aut ad fiscalium solutionem non sufficere, ut ex hoc superindictionis necessitas suscipiatur: jubemus hanc repente tradi iis qui conserva aut contributaria prædia possident, cum omnibus, qui in ea inveniuntur agricolis, et peculis eorum, et entheci<sup>16</sup>, et fructibus, et animalibus, et omni alio instrumento ibi invento. Si vero aut persona quæ debeat eam secundum legem suscipere, non inveniat, aut alio quocunque modo differri superindictionem contigerit, jubemus gesta confici apud provinciæ judicem, significantia et qualitatem et statum ejus possessionis, et omnia in ea inventa, ut sic eam curiales aut exactores aut officiales suscipiant: et si postea inveniat, qui debeat eam secundum leges suscipere, non aliter fieri, nisi ut quod per occasionem exactorum, aut curialium, aut judicium, aut officialium ejus pejus aut minus factum est, ei qui suscipit, restituatur.

## CAP. IX.

Hoc quoque jubemus, ut pro pecuniis aut speciebus in provinciis expensis non exigantur collatores ea quæ dicuntur transmissoria: pro iis autem quæ transmittuntur, non amplius præberi horum, quæ ex initio in unaquoque provincia deputata sunt.

## CAP. X.

Eos quidem qui in provinciis pro quibuscunque publicis exactioem dirigitur, non aliter inchoare exactioem, nisi prius provinciali judicio insinaverint impositas sibi de hoc jussiones: ut exsolventes fiscalia tributa, nulli pro his periculo aut damno subjiciantur, hoc ipso et super privatis negotiis observando.

## CAP. XI.

Hoc quoque jubemus eis quibus fiscalium exactio injungitur, nullam privatarum causarum executionem committi: sed et si quid eis tale injungatur, nullo modo præsumere eos hoc agere: ne occasione publicorum functionum nostri subjecti lædantur.

## CAP. XII.

Si autem aliquis pro veritate publica debens tributa dicat executori esse sibi alium debitorem: non licere executori molestiam aliquam de-

L. ult. C. de exact. tribut. — 5. L. 34, 2, D. de legat. 2: L. 2, 2, D. de instructo. — 6. L. ult. C. de executorib. et exact.

nominato inferre, nisi<sup>17</sup> prius debitor probetur nullo omnino modo posse publica tributa persolvere. Hoc tamen prius requiri apud judicem provinciæ si pro veritate debitor est is, qui denominatus est, et ita fiat exactio: in utroque vero casu si quis aut exsequi aut exigere citra ea quæ a nobis disposita sunt præsumperit: et cingulo nudabitur et confiscabitur, et exilio tradetur. Qui autem injunxerit aut præceperit judex: decem librarum auri exigatur pœnam, et officium ejus quinque librarum auri subaceat pœnæ.

## CAP. XIII.

Nulli vero penitus liceat publica exigentium, neque censualibus, aut rationum scriptoribus, aut aliis quibusdam publice ministrantibus, excusatione uti, quod in<sup>18</sup> sacro loco resideant, contra eos, qui dicunt se læsos ab eis in fiscalium exactioem.

## CAP. XIV.

Nullus autem penitus molestetur pro<sup>9</sup> tributis terrarum quas non possidet, sed etiam si contingat agricultores alicui competentes, aut adscriptitios propria habere possessionem, illos<sup>19</sup> molestiam sustinere, nisi forte propria voluntate tali functioni se fecit obnoxium.

## CAP. XV.

Eos autem qui publica tributa exigunt, justis<sup>11</sup> ponderibus et mensuris, uti præcipimus: ut neque in hoc nostros tributarios lædant. Si autem collatores putant gravari se sive in mensuris, sive in ponderibus: habeant licentiam specierum quidem mensuras et pondera a gloriosissimis præfectis: auri vero et argenti et reliquorum metallorum pondera a gloriosissimo per tempora comite sacrarum largitionum accipere: et has mensuras et pondera in sanctissima uniuscujusque civitatis ecclesia servari, ut secundum ea et gravamen collatorum, et fiscalium illatio, et militares et aliæ expensæ fiant.

## CAP. XVI.

Civitatum vero nostræ reipublicæ et habitantium eas perfecte prospicientes, jubemus nullam omnino esse licentiam fiscalium exactoribus communicare pecuniis, quæ operibus et frumentis civitatum, et aqueductibus, aut aliis quibuslibet solemnitatibus, aut salariis deputatæ sunt: aut retinere aliquid ex iis, aut ad proprium lucrum redigere: sed sine<sup>12</sup> aliqua dilatione aut imminutione has præbere, ut proficiant ab initio in quibus deputatæ sunt operibus: sed neque possessores aut habitatores civitatum præsumere quolibet modo auferre aliquid ex ipsis pecuniis aut nomine descriptionum, aut pro sportulis dare aliquid ex his aut expendere. Si quis autem dare aut accipere ex his præsumperit: jubemus eum de suo in duplaci quantitate hoc civitati reddere. Sed neque provinciarum judices, aut eorum officia, aut alium quemlibet omnino participium habere aliquid ad prædictas pecunias, aut eorum dispensationis semetipsam miscere, sed civitatis sanctissimum episcopum et primates<sup>13</sup>, necnon et ejus possessores constituere quidem patrem civitatis, et frumentarios, et alios hujusmodi dispensatores. Singulis autem annis impletis, sanctissimum episcopum cum quinque primatibus civitatis rationes exigere eos qui ab ipsis ordinati sunt: et si quid ex talibus rationibus apparuerit debitum, aut remansisse: exigi hujusmodi dispensatorum periculo eos constituentium: et utilitatibus quibus deputata sunt, reservari. Si quis autem ex prædictis dispensatoribus inefficax inveniat: repente hunc removeri jubemus, aliumque pro eo a sanctissimo civitatis episcopo, et reliquis possessoribus (sicut prædictum est) ordinari: scientibus iis qui denominant eos, quia si quod dampnum civitati contigerit, ex propriis substantiis hoc medebantur.

## CAP. XVII.

Nulli vero liceat eorum qui in officio sunt gloriosissimorum præfectorum aut in alio officio, aut in schola constitutorum talia ratiocinia committi, neque ex præcepto cujusdam administratoris, aut alterius judicis scriptis, nec si pragmaticam, aut aliam sanctionem, aut sacrum commonitorium accipiat, præcipiens ei aliquid tale. Sed si quid fiat hujusmodi, licentiam habere uniuscujusque civitatis sanctissimum episcopum, et ejus primates, non respondere pro memoratis capitulis talibus personis: referre autem ad nos, ut hoc agnoscentes, et illatum civitatibus dampnum ex eorum substantia restitui jubeamus, et competentem vindictam talibus inferamus.

## CAP. XVIII.

Super hoc jubemus, scriniarios operum sub præfecto sacrorum præto-

7. L. 5, 2 8. D. de jure fisci: L. 4, C. quando fisco vel privato. — 8. N. 17, c. 6 et 7, 2 1. — 9. L. 4, C. de executorib. et exactorib.: L. ult. C. de omni agro; N. 52. — 10. L. 4, C. de agr. et censitis. — 11. L. 9, C. de susceptorib.; L. pen. fr. C. de defensorib. civitat.; L. 52, 2 22, D. de furtis; L. penult. in fin. D. de lege Corn. de falsis. — 12. L. ult. C. publica

riorum constitutos, nullum participium ad talia ratiocinia omnino habere: vacantibus omnibus, per quæ eis sive generaliter, sive specialiter, aliquid tale pridem concessum est, aut postea impetretur, pro prædictis enim causis rationes nulli committi volumus, nisi nos prodesse civitatibus existimantes virum opinionis bonæ, et dignitate ornatum elegerimus, qui debeat a nobis in scriptura divinam jussionem percipere continenter nostram piam subscriptionem, et illius nomen et dignitatem, et causas et tempora, quorum ei ratiocinia committimus. Eos autem qui a talibus personis rationes exiguntur, omnem habere tutelam jubemus, aliquam questionem nullatenus sustinentes.

## CAP. XIX.

Ad hæc sancimus in nullo nostræ reipublicæ loco eundem episcopum et judicem esse, et loci servatorem gloriosissimorum præfectorum aut magistrorum militaris cinguli: sed nec aliquam exactioem fiscalium tributorum agentem loci servatorem esse gloriosissimorum præfectorum aut magistrorum militum, et simpliciter dicendum est nullum in provinciis fieri loci servatorem præfectorum, nisi per nostram jussionem in expeditionibus, ubi utilitas exigit loci servatorem mitti ejusdem præfecturæ qui debeat providere militaribus expensis. Si quid autem extra hoc delinquantur et committatur: qui quidem loci servatorem suum fecit, triginta librarum auri pœnam exigetur, restitutus omnem dampnum quod per eum qui ab eo directus est, aliquid perulerit: qui vero fieri præsumperit, proprio cingulo et dignitate et militia privabitur, et decem librarum auri pœna multabitur.

## CAP. XX.

Ad hæc prohibemus et in provinciis existentes judices civiles et militares, in civitatibus aut castris loci servatores<sup>14</sup> in commissis sibi provinciis facere, ex quo videlicet in provinciam accesserint, et in quantum in ea administrant: quinque auri librarum pœna imminente tam facienti loci servatorem judici, quam fieri præsumenti. Antequam vero in provinciis veniant judices, damus eis licentiam vices agentes suos instituire, qui debeant omnia usque ad sui præsentiam agere, quæ possunt ipsi judices facere: citra tamen novissimum supplicium, aut membri incisionem. Sed si quis ex iudicibus secundum jussionem nostram in aliam regionem mittatur, liceat ei per similem modum loci servatorem suum facere.

## CAP. XXI.

Jubemus autem omnes judices tam militares quam civiles per se requirere eos, qui latrocinia, aut violentias, aut rapinas rerum, aut feminarum, aut alia quælibet in provinciis illicita committunt, et suppliciarum legitima inferre, neque pro his causis accipere aliquid consuetudinis nomine: ut omnes undique nostri collatores illasi servantur; non enim permittimus cuilibet majori aut minori militari judici, aut latronum insecutores<sup>15</sup>, aut violentiarum inhibitoris, aut tribunos pro talibus causis in provinciis ordinare, aut qui debeant aliquos examinare: ut non per tales occasiones ampliores violentiæ inferantur provincialibus. Si quis autem judicum hoc non custodierit: cognoscat non solum se commissis sibi cingulo spoliandum, sed decem librarum auri pœnam exsolvere, eo quod præsumperit talem causam assumere: post tormenta vero et confiscationem substantiæ in exilium redigendum et relegandum.

## CAP. XXII.

Ad hoc jubemus provinciarum judices, et officia eorum, si quando de civitate ad civitatem veniunt, neque<sup>16</sup> angariis neque descriptionibus, aut aliis expensis collatores gravare: sed ex deputatis sibi de fisco annonis expensas facere.

## CAP. XXIII.

Super hoc sancimus provinciarum judices omnibus modis post depositionem cinguli quinquaginta<sup>17</sup> dies in provinciis commorari, et conventiones aliquas contra se moventibus responderi. Si vero contigerit aliquem ex eis ante completos quinquaginta dies deserere provinciam: jubemus omnes ab eo dampnum aliquid passos simul ingredi apud sanctissimum metropoleos episcopum ejusdem provinciæ et sub gestis monumentorum unumquemque tangentem sancta Evangelia palam facere illata dispendia: et ex illius substantia, contra quem talia facta sunt monumenta omne dampnum læsis restitui providentia et periculo per tempus præfectorum ejusdem provinciæ: scientibus quia si hoc complere neglexerint, ipsi de propriis facultatibus omnia damna læsis restituere compellentur.

## CAP. XXIV.

Si quis autem ex iudicibus provinciarum aut evocetur ad aliam admi-

14. L. ult. C. ut nemini liceat in empt. — 14. N. 8, c. 4. — 15. d. N. 8, c. 15. — 16. N. 17, c. 9. — 17. N. 8, c. 9: N. 95, N. 161, c. 1; L. un., C. ut omnes judices; L. 3, C. de adressorib.



nstrationem, aut opus ad aliam provinciam ei credatur: jubemus eum legitimo procuratore constituto conventiones pro damnis proponentibus respondere: quod nisi fecerit, sancimus monumenta apud sanctissimum episcopum (sicut superius dictum est) agi et pro damnis illatis eis jurantibus secundum gestorum virtutem omne damnum reddi: provincia similiter et periculum per tempus præfectorum et uniuscujusque provincie tractatorum.

## CAP. XXV.

Omnes autem pecuniarias pœnas, quæ præsentem lege continentur, a comite per tempus privatarum exigi eos qui præsentem legem non servant, et nostro fisco vindicari sancimus: qui nisi eas vindicaverit, ipse cum ministrante sibi schola ex propria facultate hujusmodi quantitatem solvere cogatur.

## EPILOGUS.

Quæ igitur per præsentem legem nostram salutarem, in perpetuum valituram, pro utilitate et statu nostrorum collatorum disposuimus, tua gloria inviolata et immota per omnia servare festinet, et ad omnium notitiam pervenire faciat: edictis quidem in hac regia civitate solemniter propositis: præceptis autem ad clarissimos provinciarum judices directis, ut per eos omnibus collatoribus manifesta fiant. — Dat. id. Jun. Dom. JUSTIN. P. P. AUG. BASIL. V. C. CONS.

## TIT. XII.

DE SAMARITIS<sup>1</sup>.

## NOVELLA CONSTIT. CXXIX.

Idem AUGUSTUS AREOBINDO P. P.

## PREFATIO.

Nullum ita magnum subjectorum nostrorum delictum est, quod non nostra clementia medeatur. Licet enim eorum facta odio habentes ad vindictam pro eis insurgamus, tamen tempus medentes et commones modis competentibus delinquentes, rursus ad nostram clementiam remeamus justitiam iracundiæ, benignitates reconcilians rationibus, quale quiddam et præsens nostra celebrat lex. Samaritæ enim pridem atroces et elatos contra christianos et in omnium velut novissimum superbiam excedentes plurimis quidem pœnis affliximus, una<sup>2</sup> vero maxime, quod neque testamenta ipsi possunt conscribere, neque hi defuncti absque testamento, cognatis qui ab intestato vocantur, hereditatem transmittere, nisi ad hereditatem ex utraque causa vocatos recte christianorum fidei esse contingeret. Interdiximus autem eis et legata dare et donationes scribere, aut aliquas omnino alienationes in suis ponere rebus, nisi forsitan orthodoxa fide percipiens persona esset. Licet autem lege generali hæc comprehendentes tunc meminimus, tamen non eandem in operibus quam in literis subtilitatem reservavimus. Nam neque nostrum fiscum, nec aliquam publici partem ex his quicquam accipere passi sumus, licet hoc expressim lex daret.

## CAP. I.

Nunc itaque ad moderationem reductos videntes eos, et nobis ipsis indignum esse putantes in eisdem permanere terminis, contra eos qui non imilia prioribus languent, præstantes maxime omnium Sergii sanctiss. Cæsariensis metropolis episcopi justis petitionibus, quas pro eis facit, testimoniū quidem perhibentis meliores eos factos: quietem vero eorum futuro tempore promittentis, ad præsentem sacram nostram venimus legem, per quam sancimus, licentiam<sup>3</sup> esse Samaritis jam scribere testamenta, et suas proprias dispensare substantias, sicut et alia præbent leges, et per præsentem nos decernimus, et sine testamentis morientes, ab intestato vocatos secundum imitationem aliorum hominum heredes habere eos præter ea quæ per præsentem nostram transponimus legem. Sed et donationes eis permissum scribere et legata dare et accipere, et hujusmodi contractus facere cum omni licentia. Qui enim testari dedimus eis et omnem dispensare substantiam, quomodo de particulari dispensatione negabimus.

## CAP. II.

Sed tamen non eundem reddimus ordinem et christianis successoribus et Samaritis. Iterum vero et merito, meliora<sup>4</sup> sectantibus privilegium præstamus. Unde si quis eorum sine testamentis moriatur, et filios

TIT. XII. — 1. Adde N. 144; L. 13, l. 17, l. 21, C. de hæreticis; L. ult. C. de christ. mancip. Edict. Just. 9, c. 2, § 1. — 2. d. L. 17, C. de hæret. — 3. Abrog. d. L. 17; vide tamen N. 144, c. 1. — 4. N. 115, c. 5, § 14. — 5. d. L. 17, C. de hæret. — 6. Abrogat. d. N. 144, c. 1.

ad Deum discretos reliquerit, soli vocabuntur ad hujusmodi hereditatem, qui rectam christianorum allegant fidem aliis exclusis, quicunque ipse detinentur quo defunctus errore. Hæc autem dicimus non super illis solis, sed etiam aliis cognatis ex quacunque sint linea, ut recta sectantes, illis qui non proxima colunt, præponantur, tamen si eundem, qui vocantur, omnes gradum accipiant, aut unam ad hereditatem habeant vocationem. Non enim his qui ex longiore gradu sunt, et a vicinioribus excluduntur, licet meliora sectantibus, proximorum damus prælationem aut privilegium.

## CAP. III.

Nec tamen penitentiae locum in causa exclusis, auferimus et ex hoc. Nam si voluerint et postea ad rectam fidem christianorum reverti, qui pro hoc hereditate exclusi sunt, suas recipient portiones, ita vocandi ad hereditatem tanquam si rectæ hujus religionis extitissent, solis fraudati medii temporis fructibus. Si vero et testamenta scripserit aliquis eorum, valere quidem ea quantum ad religionem jubemus. Si autem pater aut etiam aliquis descendendum [aut etiam ascendendum] sit, qui testamenta conscribit, si quidem omnes ex ordine qui ad hereditatem vocantur, ejusdem quo pater erroris sint, his non relinquat ultra duas substantias uncias, reliquis ad eos qui recte colunt deferendis. Tamen nisi aliquis forte christianus ex ipsis reliquerit legata, servanda etiam hic penitendi loco volentibus, ut possint equalitate frui cum eis qui ab initio christiani fuerint, sicut ab intestato decevimus. Ad hunc itaque ordinem et partem, et de inofficioso damus ascendentibus et descendentibus et recta sectantibus dogmata, et forte læsis per celebratas in testamentis rerum divisiones.

## CAP. IV.

Concedimus autem eis et donationes dare, et accipere, et legata relinquere, et libertatibus servos honorare, contrahere quoque ad invicem, nihil ea quæ a nobis pridem<sup>5</sup> posita est, prohibente lege: nostrum enim fiscum et aliam omnem publici partem excludimus<sup>6</sup> omnino nullum ex illa lege ad eorum hereditates eorumque substantias aut documenta participium habere valentibus. Hæc autem dicimus non in futuris solum, sed etiam<sup>7</sup> in præteritis, ut neque pro his quæ tunc facta sunt, aut noster fiscus aut alter omnium, substantias perscrutetur eorum. Qui enim in<sup>8</sup> futuris clementiam dedimus, quomodo de præteritis subtilem tractatum haberemus? ut omni modo præsentem nostram clementiam promerentes, gratias Deo profiteantur, et nobis et Sergio<sup>9</sup> sanctissimo ad hanc nos quæ maxime circa eos provocant clementiam.

## EPILOGUS.

Tua igitur gloria nostram in eis declaratam humanitatem per præsentem nostram legem cognoscens, manifesta per provincias solennibus edictis, quæ nunc nobis placuerunt, faciat, ut perpetuo hoc ipsi fruantur auxilio. — Dat. 17 kal. Jul. Constantinop., DN. JUSTIN. P. P. anno 28, BASILIO V. C. CONS.

## TIT. XIII.

## QUOMODO OPORTEAT MILITES TRANSITUM IN CIVITATIBUS FACERE, ET DE INTROITU.

## NOVELLA CONSTIT. CXXX.

Idem AUGUST. PETRO PRÆTORIORUM PRÆFECTO.

## PREFATIO.

Primum et maximum arbitramur statum esse nostræ reipublicæ, ut inculpabiliter noster exercitus in itineribus conversetur, et innoxietas atque indemnitas nostris collatoribus custodiatur.

## CAP. I.

Jubemus igitur quoties transitus sit nostrorum judicum et exercituum, delegatos simul esse cum eis qui curam habeant eorum alimentis, et singularum provinciarum judices per quas transitus sit, præparationem facere expensarum, ut nostri exercitus in unam quamque provinciam adscendentes, inculpabiliter conversentur, et unius cujusque numeri optiones suscipere species sine qualibet tergiversatione, et erogare magistris militum et militibus in specie præbitas annonas, habere<sup>1</sup> autem eosdem optiones deputatam ipsis occasione emolumentis quintam decimam portionem. Ex consuetudine autem et recitata<sup>2</sup> fieri ab optionibus, collato-

— 7. L. 7, C. de legib. — 8. L. 22, D. d. t. — 9. c. 1, supr. hic.  
TIT. XIII. — 1. Fac. L. 9, C. de susceptorib. — 2. c. 5, e. 5, infr. hic; L. 4, C. de collat. fund. patrum.

ribus pro his quæ ab his expendantur, periculo eorum qui cum eis sunt judicum et tribunorum, et comitum et diasotarum et delegatorum et uniuscujusque numeri primatum, et nullo modo gratis expendere milites a collatoribus, aut occasione sine factæ forsæ præparationis, aut introitorum nomine, quorum etiam ipsum vocabulum omnino perimimus, ut undique illæsi et indemnes custodiantur nostri subjecti.

## CAP. II.

Species autem quæ inveniuntur in unoquoque loco ipsos accipere milites, et non alias querere quæ in ipsa regione non inveniuntur, et propter hoc tergiversationem aut damnum inferri nostris collatoribus.

## CAP. III.

Eam vero quæ sit a nostris possessoribus expensam, et declaratur per recitata<sup>3</sup>, jubemus reputari eis a sede tuæ celsitudinis sine qualibet tergiversatione aut damno aut injunctio in collationem eam, quam ab eis fiscus capit pro indictione illa in qua expensa fit. Si vero amplius quam professiones sunt ab his qui dant species, inveniatur expense, jubemus ex omni corpore fiscalium ejusdem provincie compleri eos qui ultra functiones suas exhibuerunt. Si vero non habeat ipsa provincia sufficientia ad expensam factam, compleri eos qui hanc expensam fecerunt ex generali mensa quæ regitur a tua gloria, aut retinere hæc eos ex his quæ ab his inferenda sunt secundum sequentem indictionem, et hæc reputari eis ex omni modo ab his qui fiscalia exigunt: his omnibus admittendis et observandis periculo tuæ gloriæ et singularum provinciarum tractatorum et judicum et obsequentium eis officiorum et susceptorum, et curialium, et omnium fiscalia tractantium.

## CAP. IV.

Hoc quoque jubemus servari, nullum judicum aut militum occasione transitus, aut a civitatibus aut prædiis in minimo aliquid accipere. Si autem inventus fuerit quis pro transitu annonam accipere, jubemus tale aliquid agentem exigi duplum totum, quod accipere pro hoc præsumperit.

## CAP. V.

Si quis vero nostrorum judicum aut militum aut optionum ipsorum non recitata fecerit factæ ab iis expensæ, jubemus expensas facientes collatores gesta monumentorum conficere, siquidem inveniatur judex in illis locis, apud eum et sanctissimum civitatis episcopum. Si vero non inveniatur judex in locis illis, apud sanctissimum civitatis episcopum, aut defensores locorum, sub quibus possessio jacet, ex qua facta est expensa, et per talia gesta palam facere qui nostrorum judicum et cum quali exercitu transitum facientes non fecerunt recitata, et quantum quantitate expendunt, et talia gesta mitti ad tuam gloriam: tuam vero celsitudinem utpote recantis factis, collatoribus quidem præbere aut etiam reputare quæ ab eis facta expensa, sicuti superius diximus: retinere autem hanc quantitatem quæ ex gestis declaratur, ex his quæ delegata sunt de fisco principalibus militiæ, et militibus ad quæ expensam fecerunt.

## CAP. VI.

Ad hæc jubemus principes militiæ nostros, sive eos qui deducunt exercitum, et delegatos, in transitibus præmittere ad illum locum in quo futurus est noster exercitus applicare, et præparationem facere expensarum, et non mittere ad alias civitates aut possessiones, aut prædia quasi debeat exercitus ibi manere, et ex hoc pecunias accipere de possessionibus et villis. Si autem accipere aliquid pro hoc præsumperint, jubemus etiam sic quidem gesta fieri, significantia et unde et cui datum est, et reputari damnificatis a tua gloria, aut præberi secundum prædictum modum omnia, quæ ex talibus gestis significantur, principes autem militiæ, et quocunque modo diasotas nostri exercitus et delegatos et in duplici quantitate dare quæ accipere præsumperint: promitatores vero etiam supplicium et exilium sustinere.

## CAP. VII.

Si qui vero judicum provinciarum colludentes forte cum diasotis nostri exercitus, non præparaverint expensas, et ex hoc per diversas civitates et villas eos perducant, jubemus eos cingulo remotos confiscationi et exilio cum obedientibus eis officiis subdi: nostros autem collatores et ita indemnes servari ex recaturum datione aut ex gestis, quæ secundum prædictum modum debent fieri.

## CAP. VIII.

Hæc autem ipsa servari præcipimus non solum in transitibus nostro-

3. c. 1, supr. hic. — 4. Fac. L. 5, C. de metat; adde L. 6, § 5, D. de offic. præsid.  
TIT. XIV. — 1. Adde L. 12, § 1, C. de sacros. eccles. — 2. Immo vide L. 16, l. 24, in pr.

rum judicum et militum, sed etiam aliorum, qui ex qualibet gente in auxilium nostræ reipublicæ nobis mittuntur.

## CAP. IX.

Ut autem non occasione metatarum damnationis injurietur nostrorum collatorum libertas, jubemus nulli penitus licere nostrorum militum in authenticas<sup>4</sup> habitationes, in quibus domini domium inveniuntur manentes accipere, sibi metata, sed illas quidem sine molestia servare propriis dominis, accipere autem milites in aliis diatris metata.

## EPILOGUS.

Quæ igitur placuerunt nobis, et per præsentem declarata sunt legem, tua gloria in regia civitate et per loca sanctissimis episcopis, clarissimisque judicibus et omnibus nostris subjectis in unaquaque provincia et civitate palam faciet, ut sciant nostri subjecti quæ a nobis pro eorum indemnitate disposita sunt, et agnoscant, quia si contra hæc aliquid agatur, et qui læduntur taciturnitati causam tradiderint, ipsi hujusmodi læsionis sibi auctores fient. — Dat. kal. Mart. Constantinop., DN. JUSTIN. P. P. Aug. anno 19, post consulatum BASIL. V. C. anno quarto, indictione oclava. Proposita in civitate Constantinopolitana.

## TIT. XIV.

## DE ECCLESIASTICIS TITULIS, ET PRIVILEGIIS, ALIISQUE CAPITULIS.

## NOVELLA CONSTIT. CXXXI.

Imp. JUSTIN. AUG. PETRO GLORIOSIS. PRÆFECTO SACRORUM PRÆTORIORUM.

## PREFATIO.

De regulis ecclesiasticis et privilegiis, aliisque capitulis ad sacrosantas ecclesias et reliquas venerabiles domos pertinentibus, præsentem proferimus legem.

## CAP. I. De quatuor sanctis ecclesiis.

Sancimus igitur vicem<sup>1</sup> legum obtinere sanctas ecclesiasticas regulas, quæ a sanctis quatuor conciliis expositæ sunt, aut firmatæ, hoc est in Nicæna trecentorum decem et octo et in Constantinopolitana sanctorum centum quinquaginta patrum, et in Ephesina prima, in qua Nestorius est damnatus, et in Chalcedonia in qua Eutyches cum Nestorio anathematizatus est. Prædictarum enim quatuor synodorum dogmata sicut sanctas Scripturas accipimus, et regulas, sicut leges observamus.

## CAP. II. De ordine sedendi patriarcharum.

Ideoque sancimus secundum earum definitiones sanctissimum senioris Romæ papam, primum<sup>2</sup> esse omnium sacerdotum: beatissimum autem archiepiscopum Constantinopoleos novæ Romæ, secundum habere locum post sanctam apostolicam senioris Romæ sedem: aliis autem omnibus sedibus præponatur.

## CAP. III. De archiepiscopo primæ Justinianæ.

Per tempus autem beatissimum primæ<sup>3</sup> Justinianæ, nostræ patriæ archiepiscopum habere semper sub sua jurisdictione episcopos provinciarum Daciæ mediterranæ, et Daciæ Ripensis, et Privalis, et Dardaniæ, et Mysiæ superioris, atque Pannoniæ, et ab eo hos ordinari: ipsum vero a proprio ordinari consilio, et in subjectis sibi provinciis locum obtinere eum sedis apostolicæ Romæ, secundum ea quæ definita sunt a sanctissimo papa Vigilio.

## CAP. IV. De episcopo Carthaginiensi.

Simili quoque modo jus pontificis quod episcopo Justinianæ Carthagini<sup>4</sup> Africanæ civitatis dedimus ex quo Deus hanc nobis restituit, servari jubemus. Sed et alia civitates, et earum episcopi, quibus in diversis locis metropolitanicum jus præstitum est, hujusmodi privilegio in perpetuum potiantur. Omnia autem privilegia<sup>5</sup> vel solatia quæ ex imperiali munificencia, aut etiam alio quolibet modo sanctissimis ecclesiis aut aliis venerabilibus domibus et locis collata sunt, firme eis per omnia conserventur.

## CAP. V. De privilegiis possessionum ecclesiasticarum.

Ad hæc sancimus omnium sanctarum ecclesiarum et omnium venerabilium domorum possessiones, neque<sup>6</sup> sordidas functiones, neque extraordinarias descriptiones sustinere. Si tamen itineris<sup>7</sup> sternendi, aut

C. d. t. — 3. N. 11. — 4. N. 57. — 5. L. 22, § 1, C. de episcopis. — 6. L. 5, C. de sacros. eccles. — 7. L. 7, C. d. t.; L. pen. C. de privil. dom. Aug.